Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

occupet Textus luculentior, inſerta *Gloſſa interlineari*, et latera ſtipet *Gloſſa ordinaria*, prout in *Bibliis gloſſatis* habetur. Praefationes omnes abſunt; ad calcem tamen ſubpleta eſt illa, quae in *Bibl. Gloſſ.* audit S. *Auguſtini*, et incipit: *Omnibus diuinę ſcripturę paginis euangelium excellit* &c. Sequuntur deinceps quaedam in *Joh.* notata, et a diverſis manibus temere adjecta quaedam de Euchariſtia, Verſus mixti morales, v. g.

Eſt melius ſubdi, quam ſtulte uelle reniti.
Diligimus ſepe, nobis quod ſcimus obeſſe &c.

Alii de Temporibus eccleſiaſticis hoc initio:

Que decantauit lugens ſua crimina dauid
Exemplo cuius ſpacio ſub temporis huius
Deploremus et oremus culpasque lauemus &c.

Demum Sylloge Sententiarum moralium nullo certo ordine, quarum poſtremae: *Pecunia non ſaciat auarum, ſed irritat. Occaſiones querit, qui uult abamicare. Diuicie addunt plurimos amicos.* Anteriori thecae Codicis inſcriptum: *Hunc librum teſtatus eſt ad librariam collegij ducalis honorabilis uir dominus mathias puellmair de grintling Presbiter friſingenſ. dioceſ.* Nullo, quod ſciam, academico munere functus.

XCVII.

U. 62 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 121. 4. triplici, ut antecedens, perſcriptus columna, et a. 1540. legatus ab *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* contubernio ſtudentium literis Adoleſcentum ad D. *Nicolaum* a ſe condito, ut Προγραμμα praevium typis excuſum fidem facit, complectitur idem *Johannis Evangelium* cum iisdem *Gloſſis*, et quidem Praefatione pariter deſtitutum. Thecae poſticae adglutinata eſt membrana mutila Inſtrumenti cujusdam *Emancipationis* dati *Pragae* a. 1404. et firmati a *Martino quondam Galli de Tirnauia Olomuc. Dioeceſ.* Notario publico.

XCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 63 XIV. Folior. 98. 4. non una manu, partimque per tres, partim per duas columnas exaratus, rubricis diſtinctus, et ab eodem *Joh. Fabro* eidem Contubernio anno 1540. adſcriptus continet I. idem *Johannis Evangelium* cum iisdem *Gloſſis* praemiſſo tamen ſupra dicto Prologo, cujus initium: *Omnibus diuine ſcripture paginis* &c. item Loco e *Bedae Homilia de Nat. Domini*, et quodam Paral-

leliſmo